

est in hac vitâ impossibilis: Hanc autem ex gratiâ Dei habent omnes veri Christiani. Unde elegantissimè ad v. 7. annotat Hunnius: *Qui diligit alterum, legem explevit, non quidem in ea perfectione, quâ lata est lex, sed pro hujus vitæ modulo: Ubi Deus propter obedientiam filii sui, nostram quoque, licet inchoatam, seriam tamen, & à filiis profectam obedientiam, paterno favore acceptat, tegens defectum & imperfectiorem obsequiorum nostrorum merito perfectissima obedientiâ Christi.*

QUÆSTIO III.

Quo sensu nobis salus nunc dicatur prior,

& nox progressa? v. 12.

Per *σωτηρίαν* Hunnius & Balduinus intelligunt Salvatorem mundi, Christum; & dicunt; institui hic collationem inter tempus veteris & novi Testamenti. Ita ut juxta nonnullos etiam nox denotet umbram Veteris Testamenti. Et ita sentiunt quoque Erasmus apud Estium, Veinrichius, Rungius, & alii. Et juxta hanc sententiam verbum *Credebamus* referendum est ad tempora Veteris Testamenti, in quibus credebatur in Salvatorem futurum. Sicuti etiam Mylius dicit; *conferrî hic tempus præteritum & præsens. Et quidem præteriti temporis miseriam exponi, dum 1. vocetur tempus noctis, respectu Judæorum propter umbras; respectu gentilium, propter illorum tenebras. Ephes. 4. v. 18. cap. 2. v. 12. 2. Tempus, in quo salus credita; nondum exhibita. Quâ ratione hæc vox credere, aut pro imaginariâ opinione gentilium *καταχρηστικῶς* accipitur, aut de solis Judæis est intelligenda. Eadem ratio est contrâ de Die. Estius autem *σωτηρίαν* aliter explicat: Salus, inquit, futura glorie, quam expectamus, nunc vicinior nobis est, postquam in fide Christi magna pars vitæ nobis peracta est: quàm tunc erat, quando primum credere cepimus, quando baptizati sumus, & per Baptismum numero fidelium aggregati. Quocirca tanto majori nunc opus vigilantia, quânto magis tempus, quo salutem expectamus, appropinquare novimus. Sed nos amplectimur sententiam Priorem. Alias enim sententia hæc scripta fuisset tantum iis, qui per aliquot annos fuissent credentes.*